

8.

DISSERTATIO ACADEMICA
DE
CENTONIBUS POËTICIS,

QUAM

VENIA AMPLISS. FACULT. PHILOS. ABOËNS.

PRÆSIDE

JOH. FREDR. WALLENIO,

*Eloqu. Prof. Reg. & Ord. Regg. Societt. Patriot. Holm.
Oecon. Fenn. & Oecon. Wermel. Membro,*

PRO GRADU PHILOSOPHICO

Publicæ censuræ modeſte ſubjicit

*CAROLUS GABR. WESTZINTHIUS,
Ostrobothnienſis.*

In Auditorio Majori die XII Jun. MDCCCV.

Horis a. m. consuetis.

A B O Æ, Typis FRENCKELLIANIS.

ENKE-PROSTINNAN,
DOKTORINNAN,
HÖGÅDLA FRU
ANNA WESTZYNTHIUS
FÖDD
MATHESIUS.

E mottag, Huldaſte Mor, med vanlig godhet, ett vedermåle
af den sonliga vördnaden och tackambeten. Min gäfva är
ringa; men den vittnar om min viljas vålmening, och åt-
föld af min kårelk och tillgifvenhet skall den finna vägen
till ERT bjerta. Detta hopp kan icke svika

ER

Edmjuklydigſte Son,
CARL GABR. WESTZYNTHIUS.



Eum vero nemo potest aquare, cuius vestigiis
sibi utique insistendum putat; necesse est enim
sempre sit posterior qui sequitur.

QUINTILIANUS.

Ut in Anagrammate, puerili potius quam inge-
nioso lusu, unam pluresve voces, transpositis
elementis, in alienum deflectere sensum non heri de-
mum aut nudius tertius instituerunt dicacule jocan-
tes, vel nova conquirentes & acutula blanditarum
lenocinia: ita nec defuere, qui, ut ingenii novitatis-
que gloriam, cuius maximum esse solet aucupium,
venarentur, ex propositis optimorum auctorum præ-
clarissimis exemplis, in frusta primum laceratis, tum
confutis denuo & consarcinatis, sed aliter ordinatis
& disiectis audacius, sententiam longe aliam, quam
ne somniare quidem potuerit scriptor vim passus, la-
boriosius quam laudabilius exprimerent. Quod si
nonnisi ab illis fuisset factum, qui excellentium & e-

A gre-

gregiorum exemplarium imitatione nihil esse ad sti-
lum bene formandum præstantius edocti, & propriis
omnino diffidentes viribus, aliorum vestigia premere
quam vias nullo. adhuc pede perambulatas suo mo-
do signare satius duxerunt, nihil esset quod magnope-
re miraremur; sed alios quoque, extra propriæ fa-
cultyatis penuriam, eandem ingressos fuisse rationem,
& bona non sua diripere violenterque tractare, quam
fuis, ut erant e. gr. AUSONII, non contemnendis, u-
ti maluisse, vix posset explicare qui nesciret, eos sin-
gularem quandam in futili ac ferme puerili artificio
quæsivisse laudem. Quamvis enim ipsa nominis,
Centonum scilicet, significatio nihil haberet magnifici,
sed abjecti potius & contemtum adferentis, & quam-
vis imitatori non esse in arctum desiliendum jure mo-
nuisset HORATIUS a), nihilque sola imitatione cresce-
re QUINTILIANUS b), fuere tamen, renitentibus in-
cassum aliis, quibus ex gustus (sic enim veri pulcri-
que sensum frequenter solemus appellare) corrupti
judicio valde commendandum videretur monstroum-
ne dicam an proeax consilium. Sed utramque au-
diendi partem commodior in sequentibus dabitur oc-
casio; nunc ad specialiora transeamus.

Cento igitur sive *Centon* c) cum Græco h̄εντρων,

a) Art. Poët. v. 134.

b) Instit. Orat. Libr. X. c. 2.

c) Sic. JOAN. QUINTINUS HEDUUS & JAC. PAMELIUS in

uti sono, ita re & sermonis usu, propemodum convenit, & communes obtinuit significatus. Próprie-
ním dictum fuit utrumque vocabulum de straguli vi-
lisve vestis aut utensilium genere, quod vel ex lana
coaëta, vel plerumque ex pannis laneis diversorum
colorum a), veteribusque & usu detritis vestimentis
confectum esset. Tali centone, cui sarcendo vel
compingendo inserviebant & nonnunquam linamenta
sternebantur lecti, operiebantur rustici, famuli, ege-
ni, contegebantur asini, muli aliæque pecudes; idem-
que, præsertim madefactus, ad restinguenda arcen-
dave incendia & ad excipiendos hebetandosque arie-
tum ac lapidum ictus, quemadmodum etiam ad ædes
detergendas adhibebatur. Ex multiplici vero & va-
ria centonum materia versipellem & astutum homi-
mem b), vel, ut aliis c) placet, conviciatorem & ma-

A 2

He-

Annott. ad TERTULLIANI de præscriptione aduersus hæ-
reticos librum, qui cum reliquis ejusdem Patris operibus
prodiit Parisiis 1635, p. 368 n. 255. Sic etiam ERA-
SMUS ROTERODAMUS in Adagiis, Chil. II. Cent. 4 n. 58.

a) *Centunculo*, qui per diminutionem ita dicebatur, indui
solitos suisse mimos, narrat VOSSIUS Instit. Poët. Lib. II.
c. 56 §. 9. Remansit vero hujus, etiam sine dubio ver-
ficoloris, Centunculi usus in histrione ludicro (*arlequin*)
non solum pristinæ sed & hodiernæ scenæ.

b) Ita HENR. STEPHANUS, Parod. moral. in Centonum ex-
emplis illustratis p. 2. SCHNEIDER Griech. deutsches
Handwörterb. voc. οὐρτζῶν.

c) HEDERICI Lexicon Græcum voc. οὐρτζῶν. Gloffator A:

Iedicum, ARISTOPHANES *a)* κέντρωνα appellavit. Prodiit ex hisce notionibus, & e prima vulgatori potissimum, tertia, carminis expressura genus, e multis particulis alieni vel alienorum poëmatum conflatum atque structum, sive AUSONIO *b)*, ipso centonario, definierte, "variis de locis sensibusque diversis quandam carminis structuram solidatam". Cum autem Centones Græci nonnisi ex HOMERO, Latini ex VIRGILIO primum & unice fere concinnarentur, illos Ὀμηρόκεντρα vel Ὄμηροκέντρωνες sive Homerocentones, hos *Virgiliocentones* vocandi mos invaluit.

In primis hujus artificii, vel potius παραπομέσεως, vestigiis eruendis quamvis ultra conjecturas vix licet ascendere, non erit tamen incongruens vel harum potiores delibasse. Et videntur sane, nisi prorsus abnorme & portentosum censembitur universum consilium, vestigia ista esse vel in ipsa mentis humanae indole, vel in singulari quadam & peropportuna ejusdem consilii adornandi occasione querenda. Quod ad prius attinet, in eo multus est HENR. STEPHANUS *c)* ut probet nos, quemadmodum in plerisque

RISTOPHANIS πλήγτρων (percutientem, ferientem) explicationis loco appoluit. R. F. P. BRUNCK in subjecta versione latina *centonem* transtulit.

a) Νεφέλ. v. 450.

b) In Epistola ad *Paulinum* centoni nuptiali præmissa,

c) Libr. cit. p. 1, 6, 29, 41, 44 &c.

que rebus vel ad utilitatem vel ad delectationem vel
ad utramque comparatis non eo solum contenti esse
solemus usū, quem ipsa illis natura præscripsit, sed
ad alios atque alios easdem convertere, sic & in Poë-
tica re versus non paucos in eo, quem illis poëta de-
dit, sensu usurpare non satis habentes, ad aliū præ-
terea vel alios referre, & tanquam furculos ex ar-
bore una in aliam inserere, qui tamen in ea nati,
non in eam insiti, videri possint. Quod probaturus
multa adfert exempla versiculorum singularium vel
geminorum, Homericorum quidem a STRATONICO,
DIOGENE, THEOCRITO, SOCRATE, PLATONE, NU-
MENIO, CLEODEMO, DIOXIPPO, ALEXANDRO MA-
GNO, LUCIANO, EUSTATHIO, NERONE, AUGUSTO,
FRANCISCO I. Galliae Rege, & se, Euripideorum a
DIOGENE, METROCLE, BIONE, AUGUSTO, Virgi-
lianorum, Horatianorum, Catullianorum, Proper-
tianorum a se, in res vel similitudine quadam jun-
ctas vel magis alienas accommodatorum, talesque
eorundem tractationem fuisse illa, quam in pluribus
adhibuerunt Centonarii, antiquorem, & prisco quidem
tempore non parum placuisse, proverbiaque haud
paqua progenuisse, pluribus demonstrat. Nec vere-
tur addere, versuum cum judicio delectorum abusum
plus, quam ipsum usum habere gratiæ, venustatis
atque leporis a). — Et aliquid omnino his omnibus
inesseret veri, eumque esse mentis humanæ habitum,

ut

a) p. 17, 93 &c.

ut similitudines rerum quærere iisque delectari, ut aliud ex alio effingere, ut novas eidem aptare formas gestiat, ut cognitis sibi & memoriæ impressis sed inopinato recurrentibus & veste vel eadem vel alia parum mutata indutis, quasi amicorum & familiarium conspectu, jucunde afficiatur, ut effata vel augustissima & sacratissima in alienum subinde & jocosum sensum detorqueat, ut ex dictis παρὰ τὸν προδοτιῶν capiat voluptatem, non diffitemur. Sed ut in iudis & jocis, in quibus præcipue dominatur hæc mentis nostræ consuetudo, nihil placet quod laboriosum multique sudoris videatur, aut nimis longo anfractu sit circumscriptum salesque nimio verborum fluctu diluat, aut eandem semper resonare faciat chordam, ita nec in longo magnoque opere, & ad ostentationem fere composito, eadem quæ in breviori dicto æque juvant, verum satietatem, & ex illa fastidium, cito movent. Si igitur ex fonte, quem investigasse sibi visus est STEPHANUS, & cuius iidem hodie aut nunquam aut rarissime emanant pleniores rivii, profluxerit iste centonum compingendorum mos, non potuit id in sobrio & fano, sed depravato & luxurioso, gustu fieri. Aliud enim est imitari, & quædam ab aliis cum delectu mutuata suis, cum levi mutatione, assuere, quod & VIRGILII^{a)}, si quis alius

a) Hunc scilicet ab ENNIO, FURIO, VARIO, LUCRETIO, LUCILIO, PACUVIO, SUEVIO, CATULLO, NÆVIO &c. non pauca, sed cum prudenti judicio, sunsisse, suisque plus

¶) 7 (¶

alius, vena divitem, fuisse novimus, aliud omnia o-
mnino verba vel suffurari vel rapere, quod plagiarii
vel centonarii est.

Probabilior vero videtur esse Centonum a Rha-
psodorum Homericorum more origo. Sive enim
HOMERUS, cuius scribendi peritiam nec paucis nec
proletariis vexavit argumentis ROBERTUS WOOD,
Iliadem ipse solusque, sive ex F. A. WOLFI^{a)} sen-
tentia, aliorum opera adjutus, confecerit, quam li-
tem nostram non facimus ^{b)}, id tamen certum est,
antiquitus invaluisse in Græcia consuetudinem, ut
Homerica carmina a Rhapsodis festis diebus memo-
riter recitarentur. Quæ cum sparsa initio essent,
nec in ordinem, quo nunc conspiciuntur, digesta, in
tantam corruptelam excrevit Rhapsodorum licentia,

ut

minus mutata inferuisse carminibus, pluribus ostendit ex-
emplis MACROBIUS, Saturnal. VI. cap. 1 & seqq. id ta-
men, & *judicio transferendi & modo imitandi* eundem
confecutum fuisse autemans, *ut quod apud illum legeri-*
mus alienum, aut aliud esse malimus, aut melius bic
quam ubi natum est, sonare miremur. Sed similiter etiam
Græcos, & nominatim HOMERUM, idem vates imitaba-
tur (vid. A. GELLI Noct. Attic. IX. 9 & MACROBII Sa-
turnaliorum Vetus Liber fere totus).

^{a)} Prolegom. ad Homerum, Hal. Sax. 1794.

^{b)} Legi tamen, pro contraria Wolfianæ opinione, meretur
Dissert. Cl. Mag. KULLBERG de Iliade non Homerica hy-
pothesin Wolfianam sistens, Upfal. anno 1801 edita.

ut non modo seriem narrationum inverterent ac turbarent, verum etiam versiculos pro lubitu hinc inde decerperent, disjectosque & transpositos, atque suis interdum auctos & interpolatos, ad principum viorum laudes celebrandas, ad genethliaca, epithalamia & alia, quae fortuito postulabantur, poëmatum genera adhiberent a), donec lege juberet SOLON, ut omnia

a) Οι μεθ' Ὀμηρού περιερχόμενοι καὶ ἀδοντες τὰ ἔσωτῶν ἐκ ἐφεξῆς, ὡς νῦν κεῖνται οἱ σίχοι, οὐτως ἐλεγον αἰκιδέθως ἐπιδεικνυμένοι, ἀλλ' ἐντεῦθεν πακεῖθεν, λόγγος χάρην ἀπὸ ταῦτα σελιδίσ εἴα σίχον, καὶ αὐτοῖς σελιδίσ εἴα, καὶ αὐτὸν ἀλλαζεῖνα λαβόντες, καὶ οὐτως συνάγοντες τὰς διεσώτας σίχες εἰς ἐν ταῖς αρμολόντας τῷ πράγματι, λόγγος χάρην εἰς γάμους, εἰς ἀρχοντας, ἢ γενεθλίους, εἰς ἄλλοτε προκέντεον, οὐτως επεδεικνύντο. PORPHYRIUS (ut putant) in Scholiis ad DIONYSIUM Thracem. Διότι κατὰ μέρος φασι τῆς ποίησεως διαδεδομένης τὴν σύμπασαν ποίησιν ἐπιόντες οἱ ἀδοντες καὶ τὰ ἐξ ἐκατέρετος Ὀμηροῦ βίβλου συρράπτοντες ὡς ἐβέλοντο, δακτυλοῖς ἐντεῦθεν προσηγορέυθησαν. — Καὶ δακτυλία δε η ἐπ ἐκατέρων τῶν Ὀμηρικῶν ποίησεων συρράφεισα ἀδην αναλόγως τῷ ὑποειμένῳ πράγματι, γάμω τυχὸν ἢ ἕορτη. Τέ δε ἀπανταχέλλεν Ὀμήρος ποίησιν σκεδασθεῖσαν αρχὴν ἐποίησαντο Κλαῖθος ὁ χιον. EUSTATHIUS ad Iliad. a. Hunc vero CINÆTHUM Chium, quem primum fuisse HOMERI Rhapsodum tradunt, multa magni Vatis loca corrupisse, auctor est idem EUSTATHIUS. Vid. FABRICII Bibliothec. Græc. Hamb. 1705 L. II. cap. 2 p. 270 & 277. cap. 5 p. 333. cap. 7 p. 356. cui tamen eruditissimo viro non videtur verisimile, post Solonis legem latam Rhapsodos amplius centones ejusmodi, sive confusum versuum Homericorum chaos, decantasse, præcipue in festis publicis ac Panathenæis. p. 277.

mnia ordine cantarentur, alterque recitatorum alterum, ubi desisset, in canendo exciperet. Neque tamen ad fidem valde videtur primum, potuisse istam, quam abrogatam ille voluit, consuetudinem, vel interdicto, cui renitebatur etiam lucri spes, eradicari, sed furtim saltem serpisse & scribendorum deinde Centonum posuisse initium: maxime cum in illa, qua HOMERUM omnes colebant, veneratione, & in ardentि illo, quo ducebantur, ejus imitandi studio ^{a)}, nihil fere perfectum, nisi quod Mæonidæ venam saperet, censeretur.

Sed utcumque se habent ista, non Græcam magis quam Latinam poësin invasit Centonaria ars, cui & leges scribere instituit primum AUSONIUS, deinde JULIUS ROSCIUS Hortinus ^{b)}. Et ille quidem (nam hujus canones videre nondum licuit) in Epistola ad PAULINUM habet sequentia: *In unum versum coëant aut cœsi duo, aut unus & sequens cum medio. Nam duos*

B

^{a)} Notissima est GALATONIS (GELATONEM, GELADAM vel ELADAM alii appellare malunt, AGATHONEM GESNERUS in FABRI SORANI Thesauro Eruditionis Scholastice, voc. *Homerus*) pictoris tabula, qua HOMERUM vomentem, alios poëtas vomitu reddita asportantes (*ἀρρωμένες*) depinxit. AELIANI Ποντίλης ἴσοπιας L. XIII. cap. 22. Cfr. & OVID. Amor. L. III. Eleg. 9. v. 25 sq.

^{b)} Hujus contexendorum centonum præcepta Helmstadii 1597 cum HENR. MEIBOMII avi Virgiliocentonibus prodierunt.

duos junctim locare ineptum est, & tres una serie merae
nugae. Diffunditur autem (cento) per cæsuras omnes,
quas recipit versus heroicus. Dissentit de verbum co-
hærentium una locandorum numero HENR. STEPHA-
NUS a), putans liberius, nec tamen frequenter, jun-
gi posse duos, tres vero vitiœ in unum locum con-
ferri, nisi ad unam eandemque descriptionem omnes
pertineant, quod in Homericis sœpe obtineat; legem-
que a se latam ipsum bis infregisse AUSONIUM anim-
advertis. Et quamvis tanta non sit in centonibus,
quanta in parodiis, vocabula compilati auctoris mu-
tandi libertas, difficile tamen putat ubique invenire
particulas, quæ ita verbum absolvant; ut sine vi ulla
metro illata sermoni instituto apte cohæreant, - nisi,
jus parodiæ usurpando, aliquid interdum immutetur.
Quam vero præterea, ex eodem forte parodiæ jure,
addit observationem, multa in hujusmodi scriptione
lepide per ironiam usurpari, de iis potissimum, quæ
ad risum detorquentur, non item de iis, quæ ad res
graves & sanctas transferuntur, valere per se patet.

An autem operæ pretium fuerit in levicula arte
multas comminisci regulas, non inepte quis dubita-
verit. Neque magni admodum fecisse AUSONIUM
vel ipsam artem, vel, quod exegerat, ejusdem spe-
cimen, hæc illius docent ad PAULINUM verba: *Per-
lege hoc etiam, si operæ est, frivolum & nullius pretii
opus*

a) Libr. cit. p. 12, 14, 63, 68 sq. 97.

5 11

opusculum, quod nec labor excudit, nec cura limavit: sine insigni ingenii acumine & mōrē maturitate. Centonem vocant, qui primi hac concinnatione luserunt. Solœ (solius) memoriae negotium sparsa colligere & integrare lacerata: quod ride magis quam laudare posis. Pro quo, si per sigillaria in auctōne veniret, neque Afranius nauci daret, nec stichum suum Plautus offerret. Piget enim Virgiliani carminis dignitatem tam joculari de honestasse materia. --- Accipe igitur opusculum de inconnexis continuum, de diversis unum, de seriis ludicrum, de alieno nostrum. Sed plura in artis commendationem cumularunt alii, in quibus STEPHANUS, præter supra jam allata, in centonibus ad res sacras detortis tantum abesse putat, ut aliquid dignitati aut etiam majestati transformati Vatis decebat, ut contra multum ad eam accedat, & ex augustis magis augusti, ex profanis sacri versus ejusdem poëtæ reddantur a). Puerilia vero hæc esse & circulatorum ludo similia iudicavit HIERONYMUS b), quo tamen acerbius, & omnium forte acerbissime, in centonariam ad sacra, vel e sacris, sed Valentinianorum & Gnosticorum arte ad errores, impie traductam, consuetudinem invehitur EPIPHANIUS sequenti, ab IRENEO quidem sumta, sed valde amplificata, comparatione: Præpotentem quempiam Regem mandasse fingas, ut sua sibi de-

a) Libr. cit. p. 2. 70.

b) In Epistola ad PAULINUM presbyterum de omnibus diuinæ historiæ libris.

gemmis electissimis & pretiosissimis exprimeretur imago.
 Per fidos autem gemmarios mox astabre connexis & in-
 vicem compactis lapillis, ad vivum sic expressa est, ut
 omnes in ea regem venerarentur. Artificio postea novo,
 neque difficulti, circulator quispiam gemmas illas immu-
 tavit, invertit, atque transpositas in canem seu vulpem
 deformavit, interim vociferans: Hæc Regis imago.
 Certe qui Regiam novare formam, præterquam quod
 non adsentuntur, Regis inde majestatem lædi gravissime
 contestantur, & impostorem quarunt ad supplicium, sed
 interim simpliciores falluntur, ac splendore viso gemma-
 rum, nec non formæ novæ pretio tam raro, quo per-
 stringantur oculi videntium, facile pro Rege, quicquid
 adornatum sic est, honorare se debere credunt. Hæretici
 gemmas evangelicas & apostolicas in suas pseudevange-
 licas institutiones, & catechesis apostaticas, arte simili
 transferunt. In quibus nostros quidem lapillos regios,
 qui frons aut oculus erant, os aut nasus, loco suo motos
 agnoscimus planissime, sed a sacrostanta regis effigie
 per execrabilis istos inversores, ac teterrimos inversores,
 ad illustrandam suæ vulpis canisve caudam, jactatione
 plus quam circulatoria, detractos a). Quam compa-
 rationem, cum in rem universam non male quadret,
 totam transcripsimus: putantes breviorem quendam
 eentonem in jocis non tolerari solum posse, verum
 &, si scite fabricatus fuerit, non nihil habere cum ur-
 ba-

a) Ex interpretatione QUINTINI in TERTULLIANO PAMELIK
p. 368. n. 236.

banitate delectationis, sed eodem immoderatius ex-
currente, & in gravibus argumentis, non sine ostentationis suspicione, ludente, in re seria nugas agit
ineptas atque inglorias.

His præmissis, Centones, quotquot ad nostram pervenere cognitionem, poëticos, breviter recensebimus, a Græcis initium capturi. Istorum vero pri-
mum facimus.

Anonymi in illum, qui primum audiret Echo,
quod poëma, cum brevius sit, ex STEPHANO a)
apponemus:

Ω φίλοι ήρωες, Δαναοί, Θεράποντες Αέρος
Ψεύσομαι, οὐ ἔτυμον ἐρέω; κέλεται δὲ μὲ θυμός.
Αγρε ἐπ' ἐσχατῖς, οὐδὲ δένδρεα μακρὰ πεφύκει
Νάιει ἐύπλοκαμος δεινὴ θεος ἀνδρεσσα
Ἡ θεος, οὐ γυνή. Τοὶ δε φθέγγοντο καλεσσες.
Εἰ δὴ φθεγξαμένες τε καὶ ανδίσαντος ἀνθροί,
Αυτις ἀριζήλως ἐιρημένα μυθολογένει.
Ἄλλα τὸν τοι ταῦτα διεζερέεσθαι ἔκαστα;
Τὸν δ' εἴτ' αθρῆσαι δύναμι ἀντίον, εἴτε νοῆσαι.
Οπποῖον καὶ ἐπινέθα ἔπος, τοιον καὶ ἐπανεσταις.

Hujus vero centonis, quem latine vertit FRANC.
BELLICARIUS, versus sextus & septimus cum levi,
sed necessaria, immutatione, ex Odysseæ Libris IX
&

a) Ανθολογία διαφέρων ἐπιγειμμάτων παλαιῶν p, 50 seq.

XII fuere de promti: reliquorum fontes investigare
non vacavit.

Alter esto, nec ille longus, etiam ANONYMUS, de
Hercule ab Eurystheo ad Cerberum ex erebo ducen-
dum misso, quem centonem sic exhibet IRENÆUS a):

'Ως ἐπών ἀπέπεμπε δόκων Βαρέως σενάχοντα
Φῶθ' Ἡρακλῆα μεγάλων επίσορα ἔργων
Ἐρυσθεύς σθενέλοιο πάις περσιάδαο,
Ἐξ ἑρέβης ἀζοντα κύνα συγερεῖ αἴδαο.
Βῆ ρ̄ ἵμεν ὥσε λέων ὁρεσίτροφος ἀλὶ πεποιθώς,
Καρπαλίμως ἀνὰ ἀσυ. Φίλοι δ' ἀνὰ πάντες ἐποντα,
Νύμφαι τ' οἰδεοίτε πολύτλιποίτε γέροντες,
Οικτ' ὄλοφυρόμενοι, ὡσεὶ θάνατον δε κίοντα.
Ἐρμείας δ' ἀπέπεμπεν ίδε γλαυκῶπις Ἀθήνη.
Ηδει γαρ πατὰ θυμὸν ἀδελφεὸν ὡς ἐπονεῖτο.

Quæ omnia apud HOMERUM partim de Ulysse
dicta sunt, partim de ipso Hercule, partim de Priamo,
partim de Menelao & Agamemnone, & sublatis ipsis,
singulisque in proprios locos restitutis, totam argumenti
traditionem e medio tollunt b).

Sequuntur jam, tertio loco, celebratissimi cen-
to-

a) Adversus hæreses VALENTINI & similiū Libr. I, cap.
1 Bas. 1571 p. 36 sq.

b) IRENÆUS ibidem p. 37.

tones, quibus HOMERUM invitum, vel incium satem, christiane loqui coegerit non certo notus auctor, quem alii a) EUDOCIAM b) Augustam, sive ATHENAIDEM, LEONTII c) Philosophi Atheniensis filiam, tum THEODOSII II. Imperatoris conjugem, alii d) PELAGIUM Patricium, a ZENONE interfectum, alii PROBAM FALCONIAM, alii e) Anonymum nescio quem fuisse volunt, multi in medio relinquunt. Inscribuntur vero isti Centones, non satis commode,
de

- a) JOH. TZETZES Chiliad. X. hist. 306. SIXTUS SENENSIS Bibliothec. Sanct. Venet. 1575. Libr. IV. p. 424. GIBBON History of the decline and the fall of the Roman Empire C. 32. Saltem PATRICH opus imperfectum relictum, nec in membra digestum, ad finem perduxisse & ordinasse, atque epigraphen addidisse, contendit post ZONARUM in THEODOSIO juniore T. III. Annal. QUINTINUS, cui tamen sententiae temporum rationem repugnare observat FABRICIUS Bibliothe. Græc. Libr. II. cap. 7. p. 358.
- b) EUDOXIAE nomen præferunt perperam nonnulli, filiam, quæ VALENTINIANO III. Imperatori nupsit, cum Matre confundentes.
- c) HERACLITUM, contra reliquorum omnium fidem, appellat Chronicon Alexandrinum a SCHROECKHO, Christliche Kirchengeschichte, 7 Th. p. 102, citatum.
- d) CEDRENUS Annal. in ZENONE. PLACCIUS de Anonymis atque Pseudonymis p. 191. VOSSIUS de Poëtis Græcis, cap. 9. FABRICIUS l. c. MORHOF Polyhist. T. I. L. VII. cap. 3. §. 14. PATRICIUM Presbyterum appellant alii.
- e) BEATUS RHENANUS in Annotationibus ad Libros a se editos.

de Christo a), cuius nomen gerit etiam primus, in-
sequentibus ordine 52 aliis, quorum hi sunt tituli:
 2. περὶ τῶν ἐν τῷ παραδείσῳ τεσσάρων ποταμῶν. 3.
 περὶ τῆς Αἵδην καὶ τῆς Εὐαῖς, καὶ περὶ τῆς ἀπάτης τῆς
 ὁφεως. 4. περὶ τῆς παρακοῖς. 5. περὶ τῆς ὄικονομίας τῆς
 τῶν ἀνθρώπων σωτηρίας. 6. περὶ τῆς τῆς πατρὸς συμβολῆς.
 7. περὶ τῆς τῆς ψιλῆς ὑπακοῖς. 8. περὶ τῆς ἐναγγελισ-
 μᾶς. 9. περὶ τῆς συλλήψεως, καὶ περὶ τῆς θέσεως τόπου. 10.
 περὶ τῆς αἰσέρος. 11. περὶ τῶν προσενεχθέντων δῶρων
 παρὰ τῶν μάγων. 12. περὶ τῆς τῆς Ήρωδε βρεφοκτονίας.
 13. περὶ τῆς ἐις Ἀιγυπτίου Φυγῆς. 14. περὶ τῆς ἐξ Ἀιγύ-
 πτερεοῦ ἐπανοδε. 15. περὶ τῆς προδρόμου. 16. περὶ τῆς θέσεως
 βαπτίσματος. 17. περὶ τῆς τῆς ἀγίας πνέυματος καθόδου
 ἐν ἔιδει περιερᾶς. 18. περὶ τῆς κλήσεως τῶν Αποσόλων.
 19. περὶ τῆς διδαχῆς τῆς Χριστοῦ. 20. περὶ τῆς ἀγίας
 τριάδος. 21. περὶ τῆς ἀναστάσεως. 22. περὶ τῆς ἀκολού-
 θεντος ὁχλοῦ. 23. περὶ τῆς ἐν κανᾶ γάμου. 24. περὶ τῆς
 παραλύτων. 25. περὶ τῆς ἐν τῇ σοδᾷ Σολομῶντος ἐτέρης
 παραλύτων. 26. περὶ τῆς Θυγατρὸς τῆς ἐκατοντάρχης.
 27. περὶ τῆς χωλῆς καὶ ξηρὰν ἔχοντος χειρα. 28. περὶ τῆς
 τυφλοῦ. 29. περὶ τῆς δαιμονῶντος. 30. περὶ τῆς ἀιμορφό-
 σις. 31. περὶ τῆς Σαμαρίτιδος. 32. περὶ τῶν ἐπίτα ἀρ-
 των. 33. περὶ τῆς Λαζάρου. 34. περὶ τῆς τῶν μύρων ἀλει-
 φάσις τοῦ πυριον. 35. περὶ τῆς προδοσίας. 36. περὶ τῆς
 μυσικῆς. 37. περὶ τῆς κλήσεως τῆς ἀρτοῦ. 38. περὶ τῆς
 μπτιχοῦ. 39. περὶ τῆς προδότης Ιάδα. 40. περὶ τῆς νυκτὸς
 ἐν

a) Item, apud Alios, de Christi incarnatione, vita & morte,
 vel Christias ex Iliade & Odyssaea Homerica.

ἐν ᾧ παρεδόθη ὁ κύριος. 41. περὶ τῆς τῶν κυρίων προσευχῆς.
 42. περὶ τῆς προδοσίας. 43. περὶ τῆς κρατισεως οὐκὶ τῶν
 ἐμπαιγμών. 44. περὶ τῆς ἀρνήσεως τῶν Πέτρων. 45. περὶ¹
 τῆς πρὸ τῶν σαυρῶν μασίγωσεως. 46. περὶ τῆς σαυρωσεως.
 47. περὶ τῶν ἐκατοντάρχων. 48. περὶ τῶν πνιγμῶν τῶν Ιωδῶν.
 49. περὶ τῶν ἐπιταφίων Θρηνών. 50. περὶ τῆς ταφῆς. 51.
 περὶ τῆς ἀνασάσεως. 52. περὶ τῆς τῶν Θωμᾶ Φιλαράσεως.
 53. περὶ τῆς ἀναλύψεως a); qui omnes centones ver-
 sus efficiunt bis mille trecentos & ultra, singulos
 quidem ex HOMERO effictos, ita tamen ut pro par-
 ciori vel uberiori, quae forte occurrebat, dictionum
 rei cuivis inservientium penu, copiosius b) vel pres-
 sius argumenta tractentur. Neque diffitetur ipse STE-
 PHANUS, plurimorum in opere non brevi laudator,
 quædam loca non satis apte vel inter se vel cum pro-
 posita materia cohærere, & tres, imo quatuor inter-
 dum versus eodem, quo in Homericis carminibus,
 ordine jungi; quem vero gravius nihil, quod incre-
 paret, deprehendisse mirum videatur. Ut enim illam
 faceamus inconcinnitatem, quæ ex necessitate Ho-
 merica servandi vocabula emersit, defectus nomi-
 num omnium, quæ personis vel agentibus vel lo-

C

quen-

a) Exstant omnes, cum interpretatione latina, sed exigui
 pretii, in Magna Bibliotheca Veterum Patrum, Paris.
 1644 T. XIV. p. 95—152. Reliquas editiones enum-
 ravit FABRICIUS I. c. p. 357.

b) Sic in centone vicesimo tertio, qui nuptiarum in Cana
 continet descriptionem, multa præter modum de ferculo-
 rum apparatu congesit compilator.

quentibus imponenda erant, (præter PETRI), priorum, immutationisque, non raro absonæ, gentilium, ut Ἀχαῖῶν, Δαγαῶν pro Israëlitis, non defunt, quæ offendant, alia. Sie Evam, inepto anachronismo ante urbem aquantem, aggreditur serpens, illicie, ut vetitum fructum comederet persvasurus, a rationis, laborum, hyemis, nivis, morborumque, quorum omnium nihil illa adhucendum noverat, promittit vacationem; sic ex Græcorum Mythologia nomina inducuntur Cereris, Amphitrites, Jovis, Vulcani, Apollinis; inducitur ipse Pluto, non otiosus quidem, sed timens, sed e sede profiliens, sed vociferans, lacrymans, rogans, & a Divino hospite in turbam missus. Nec magis fere placent alia quædam: ut nimis longa & aspera Servatoris in proditorem invectio, similisque Ejusdem ad matrem in nuptiis Canaïticis responsio; ut apostolorum omnium nomine ἐιωλίων appellatio; ut hæc angeli divinum partum annunciantis verba:

Ἄργυράλεον βασίλεια διηνεκέως αὐγοφεῦσαι,
& quæ sunt cætera. Juvabit tamen, ex melioribus, apposuisse centonis 47:mi versiculos de prodigiis cruci fixi mortem infecutis;

O. v. Άυτίκα δέ βρούντιον απ' εργανῆ αἰερόεντος.

I. 9. Βρούτησας δάρα δεινὸν, αὐτὴν ἀργῆτα κεραυνόν.
I. 9. Ασράψας δὲ μαλα μεγάλεκτυπε την δέτιναζε

I. o.

- I. ο. Γαῖαν ἀπειρεσίν, ὄρέων τ' ἀπεινὰ μάρινα.
 I. φ. Ἀμφὶ δέσταλπιγξέ μέγας θρανός, αἱε δὲ χθῶν.
 O. ε. Σὺν δένρος τε, νότος τ' ἔπεσον, ζέφυρος τε
δυσαῖς,
 I. Θ. Καὶ βορέης ἀθρηγενέτης μέγα κῦμα πυλίνδων
 O. μ. Λαίλαπι θεσπεσίν· σὺν δὲ νεφέσσοι πάλινψε
 O. ε. Γαῖαν ὅμη παλὶ πόντον· ὄρώρει δέρανόθεν νῦν
 O. ω. Θεσπεσίν. Ἐπὶ δαῦ δεινος τρόμος ἐλλαβε πάν-
- τας.
- I. ι. Λαοὶ δέρισαντο Θεῶν, ιδὲ χειρας ἀνέσχον.
 I. υ. Πάντες δέστείοντο πολυπίδαιος Ἰδης,
 I. β. Οὐρεά τε σκιόεντα, θάλασσα τε ἥχιεσσα,
 I. γ. Καὶ ποταμοὶ, παὶ γῆια, παὶ ὁ ὑπένερθε παμόντες.
 I. υ. Πάντοθεν ἐκ πευθμῶν, δέρηγνοισαν ἀνακτα
 O. α. Βαλλόμενον παὶ ἐνισσομενον τετλιότι θυμῶ a).

Quartum & ultimum Græcum centonem, brevemque adeo ut vix nominari mereatur, ex Iliadis XIII & Odysseæ VIII cum mutatione levi composuit HENR. STEPHANUS b) in potatores pedibus labantes, distichum:

Ou

- a) An recte ubique appositi sint, quos e Bibliotheca Patrum supra laudata excerptimus, Iliadis & Odysseæ loci, tempus non permisit inquirere.
- b) Libr. cit. p. 54.

Οὐκέτι ἔμπεδα γῦνα ποδῶν τὴν ὁρμήσιν;
Οὐδὲ τι κινῆσαι μελέων τὴν, σὺ δὲ αναλείπεις.

Restant centones Latini: illorum vero recensum,
quem inire temporis & facultatum inopia prohibet,
alii cuidam commilitonum relinquere cogimur.



Quantum est nomen Oculum generationis pre-
dicti, et quod ex illis
autem spiritibus secundum xix capitulum, ex illis
qui sunt in aliis corporibus, ex illis
que sunt in aliis mundis, ex illis
que sunt in aliis universitatibus, ex illis
que sunt in aliis mundis, ex illis